

JANUARIUS — MARTIUS

ANNUS I

1938

NUM. 1



**MILES
IMMACULATAE**



ANNO XVII PONTIFICATUS PII P. P. XI.

Biblioteka Jagiellońska



1002969896

Ad Lectores

Ecce parvum ac modestum periodicum trimensile, auxilio esse in propagatione devotionis erga B. Mariam Virginem Immaculatam finem sibi proponens.

Nostris praesertim turbulentis temporibus maior ac maior, propagatio amoris erga Immaculatam Virginem, omnium gratiarum Medicatrixem spiritualis renovationis plurimarum animarum causa evadat, oportet.

Libenter recipiemus notitias ex quacumque plaga mundi ac natione de fidei ac Ecclesiae statu et propagatione non exclusis imaginibus photographicis ad inserendum „Militiae Immaculatae”.

DIRECTIO „MILITIS IMMACULATAE”

Niepokalanów, p. Teresin Soch.

POLONIA

87/28
11 cr



Akt. Nr.

3786 38/39 5
a

Ex Actis PH PP. XI

Quinque nuper editis Constitutionibus Apostolicis sequentes mutationes in terris Missionum factae sunt:

Vicariatus Apostolicus de Hankow in Sinis dismembratus et nova Praefectura „de Suihsien” erecta est.

Dioecesis Osakaënsis in Japonia dismembrata et nova Praefectura Apostolica „de Kyoto” erecta est.

Vicariatus Apostolicus de Changsha dismembratus et nova Praefectura Apostolica „de Siangtan” erecta est.

Missio „sui iuris” de Loangwa, finibus immutatis, ad vicariatus Apostolici gradum et dignitatem erecta est.

Vicariatus Apostolicus de Tsingtao dismembratus et novus Vicariatus Apostolicus „de Ichowfu” erectus est.

In constitutione Apostolica Dioecesis Osakaënsis dismembrationis causa edita, motiva communia dismembrationis aliorum etiam vicariatuum tradita sunt:

„Iam vero, quum in ampla incolisque frequenti dioecesi Osakaënsi, in Japonia, apostolici operarii Societatis Parisiensis Missionum ad exteriores gentes, cui est illa concredita, et dioecesani sacerdotes ex ipsa iaponica gente delecti, quam vis animarum studio fervidi, numero tamen impares sint tam magno dominico agro excolendo... Sedes Apostolica, auditis quorum interesseret, illius dioecesis partem committantem censuit apostolicis Societatis de Maryknoll pro Missionibus Exteris curis...

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae Nostra potestatis plenitudine, ex dioecesis Osakaënsis

territorio totam civilem Praefecturam de Shiga distrahimus, nec non Provinciae civilis de Kyoto partem, complectentem una cum ipsa urbe Kyoto civiles subpraefecturas de Aago, Funai, Kadono etc. quod quidem territorium in Apostolicam Praefecturam erigimus et constituius, eamque ab urbe Kyoti „de Kyoto” nuncupari iubemus et praefatae Societati de Maryknoll pro Missionibus exteris, ad nostram tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum concredimus”...

Coordinatio Piae Unionis Cleri pro Missionibus, cum Operibus pro Missionibus.

A) „Ut universa cooperationis missionalis actio magis magisque perficiatur ac raboretur, Comitatibus seu Consiliis, de quibus in Motu proprio „Decessor Noster”, Pia unio Cleri pro Missionibus, debita a Summo Pontifice Pio XI obtenta potestate, accedit”.

„In diversis nationibus Comitatus Nationalis constabit Directoribus et Secretariis Nationalibus Piae Unionis Cleri et Pontificalium Operum pro Missionibus, quae sunt in natione, singulisque Consiliis singulorum Operum et Unionis Cleri, a Consilio Nationali respectivo electis. Comitatus Praeses, qui ab ipso Comitatu eligetur inter Directores Nationales Piae Unionis Cleri et Pontificalium Operum, tres annos in munere manebit, iterumque eligi poterit.

Comitatus, Praeside convocante, semel saltem in anno conveniet et quoties Praeses opportunum iudicaverit. Idem suffragiorum maiori parte absoluta decernet.”

B) „Ut autem Unio Cleri et Opera Missionalia ordinatam actionem atque gubernium hebeant erigitur internatio-

nalis Comitatus Supremus, qui constabit Praeside Operum Pontificalium pro Missionibus et Consilii internationalis Unionis Cleri, Secretariis generalibus ipsorum Operum et Piae Unionis Cleri, unoque consiliario singulorum in Operum singulorum in Operum et Piae Unionis Cleri a Consilio electis..."

„Quae in hoc Comitatu decernuntur, ad Emum Cardinalem S. C. de Propaganda Fide Praefectum recognoscenda atque confirmanda deferuntur.

Comitatus Supremus secundo quoque mense ordinarie convocabitur et extra ordinem quoties Praeses opportunum iudicaverit".

Ex Litteris apostolicis

Ssmus Dominus Pius XI die 25 marthi 1937 edidit decretum quo novam „Delegationem Apostolicam Africæ Orientalis Italicae” constituit.

Citamus inter allis haec verba:

„Nos autem quibus nihil antiquius est, quam ut rei missionariae procurationi melius provideatur, Venerabilium Fratrum ipsorum S. R. Ecclesiae Cardinalium Consillis auditis, omnibusque rei momentis religiose perpensis, motu proprio, atque execrata scientia ac mature deliberatione Nostra, desque apostolicae Nostræ potestatis plenitudine praesentium litterarum tenore ab Apostolica Egypti delegatione praefatum Erythreæ ac veteris Imperii Aethiopici (vulgo Abissiniae) territorium distractimus ac separamus, atque ex hoc territorio, addita quoque Somalia Italica, ut supra dictum est „Delegationem Apostolicam ab Africæ Orientali Italica” nuncupandam constituimus, pariterque mandamus, ut ex nunc et in posterum Delegati Apostolici Africæ Orientalis Italicae residentia in urbe, quam vocant „Addis Abeba”, sit”.

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris honestatur templum in honorem S. Antonii.

... „cum moderator Longobardæ Provinciae Minoriticae a Sancto Carolo Boromeo nuncupatae Nos edoceat po-

stremis hisce temporibus Mediolanensi in civitate sacram Aedem esse exaedificam, Conventui Minoritico, in eiusdem urbis via „Maroncelli” sito, adiectam, atque in honorem Sancti Antonii Patavini Deo dicatam, idemque templum stylo, uti aiunt, palladino exstructum, molis amplitudine, marmororum splendore et omni excultum expolitumque artificio enitere... precibus annuendum conseveremus moderatoris eiusdem qui a Nobis postulat, ut idem templum Basilicae Minoris titulo ac dignitate honestemus... templum in honorem Sancti Antonii Patavini Deo dicatum... de Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum ad titulum et dignitatem Basilicae Minoris evehimus, cum omnibus privilegiis quae huic titulo competunt...

S. Patricius P. C. totius Bathurstensis dioecesis Patronus constituitur.

...praesentium Litterarum tenore deque Apostolicae Nostræ potestatis plenitude, perpetuumque in modum, Sanctum Patricium C. et P. totum dioecesis Bathurstensis peculiarem apud Deum declaramus Patronum et constituimus, privilegiis honoribusque additis, quae huius modi coelestis patronatus propria sunt.

Suprema Sacra Congregatio S. Officii

Damnatus atque in indice librorum prohibitorum positus est liber, qui scri-

bitur: „Von der Arbeit zum Erfolg”, — auctore Raoul France.

In famulatu Immaculatae Virginis

Dominus noster Jesus Christus incorruptibili amoris filo Beatissimam Virginem cum humano genere iunxit. Incorruptibili quidem, nam post undeviginti saecula, quod tempus sufficiens erat, ut persona Immaculatae Virginis in tenebris oblivionis periret, eo magis quod non pauci illum cultum cordi catholico tam carum concutere et deridere voluerunt, attarem fideles, sicut olim primis Ecclesiae saeculis, etiam nunc temporis eodem affectu amoris Dei Genitricem colunt.

Ille permagnus et stabilis in Ecclesiae historia cultus Mariae nihil aliud est, nisi effectus exempli a Christo nobis relictii, nisi vitalis necessitas cordis christiani, quod cum in physica tum in morali vita matrem exigit.

Immaculatae Virgini servierunt primi artifices christiani, qui venusie et cum maxima pietate in tenebrosis catacumbis Dei Genitricis imagines pinxerunt. Omnesque primorum Ecclesiae saeculorum fideles totos se servitio Mariae sacrificaverunt et venerantes imagines Divinae Matris „Orantis“, auxilium et consolationem in persecutionibus sibi implorabant. Stabiles in sua erga Beatissimam Virginem caritate se praebuerunt populus Ephesinus et Patres in illa urbe congregati, quando miraculosam maternitatem Mariae contra haeresim Nestorii defendebant. Unice gloriae Mariae praedicandae ingenium suum sacrificaverunt chrysostomi oratores et notabiles scriptores.

Etiam sequentia saecula habent suos Dominicos cum Rosario ad populum pergentes et Bernardos laudem Mariae praedicantes ac vi eiusdem virginalis exempli lapidea corda peccatorum friantes.

Necnon plurimae congregations religiosae Mariam laudando sese praecurrunt. Albos habitus Dominicanorum Rosaria manu tenentium, et Carmelitas scapulario Dei Genitricis vestitos videmus in historia Ecclesiae. In nosocomiorum oecis, ubi miseria physica et moralis saepe congregatur, Soror caritatis adsidet lectulo peccatoris morientis, cui praebet miraculosum numisma. Infirma manus sororis religiosae sufficit ad vincendum obduratum peccatorem et eum sub pedibus Immaculatae Virginis ponendum. Patres e Societate Jesu adipiscuntur eximiores successus in morali educatione iuuentutis in Sodalitatibus Marianis, valida hoc modo religionis catholicae fundamenta in pluribus nationibus ponentes. Perseverans defensor dogmatis Immaculatae Conceptionis Matris Dei est ordo Sancti Francisci. Quis enumerare potest omnes Ordines religiosos qui tam fructuose ad Immaculatae Virginis gloriam laborant? Omnibus noti sunt ordines Congregationesque, quorum ipsa nomina Matrem Dei ut Immacula-

tam, Auxiliaricem fidelium, etiam ea mysteria uti Visitationem etc. in memoriam revocant. Unusquisque Ordo, quicumque ille sit, addit aliquid ad augendum amorem nostrae Matris Caelestis.

Quando cogito de tam multis ecclesiis, per totum orbem terrarum erectis, sive in regionibus nive glacieque opertis, sive in regionibus sole uscis, ubique possum invenire sacerdotem catholicum loquentem et docentem doctrinam de Immaculate Concepta eiusque pulchritudine, maxima misericordia et vinculo nos cum Ea ligante. Unusquisque bonus sacerdos tam ardet erga Mariam amore, ut aliter, quam exhortari fideles ad reddendum Ei cultum nequeat facere.

Ista intima relatio cum Beatissima Virgine Maria inveniri potest apud omnes fideles. Maximo cum gaudio intrant Fraternitates quorum finis est gloria Immaculatae Virginis. Quam pie recitant Rosarium, unum vel „Ave Maria”. Quanta cum audacia accedunt ad confessionem in festis Mariae, isti quos vita impia a Deo avertit.

Et opinari iam posset, humanum genus, in suo undeviginti saecula durante itinere ad Mariam, satis Ei appropinquatum, ac per Eam cum Christo unitum esse. Contraria tamen Beatus Ludovicus Maria Grignon de Montfort asseverat, de suis quidem coetaneis tantum testando: „Vere cum Sanctis clamare debemus: De Maria numquam satis! Maria nondum satis est praedicata, non satis glorificata, adorata, amata. Parum servimus Ei. Plus quam modo honoris, gloriae, caritatis et devotionis Ei debemus”.

Magis adhuc appropinquamus nosmetipsos-sacerdotes ad Immaculatam Virginem, ut ardeamus caritate Ipsius et simus milites Eius, caritate Mariae animas regimini nostro concreditas accendentes;—hoc nostris temporibus necesse est, in quibus bonum a malo vinci videatur. Gratia divina solummodo perversos mores crescentemque atheum communismum vincemus, maiorem vero gratiae copiam ,ad Immaculatam Virginem, Matrem divinae gratiae magis magisque appropinquando, obtinemus.



Virgo omnium encomiorum legem excedit, nec si omnes toto orbe dispersae linguae in unum coeant, eius laudes oratione consequi possent.

(S. Damascenus)

IMMACULATA

Quam multi de Te, scripserunt, o Immaculata, at omnes se nihil Te dignum scribere valuisse, humiliter professi sunt. Quos haec tantum consolabatur persuasio, Te Ipsam verbis suis animas allocuturam atque humiles et castos uberius ac ipsi scribendo, haec capere potuerant, instructuram.

Dignare etiam me laudare Te, Virgo Sacratissima, etsi nec me esse dignum, qui de Te scribam nec intellectum humanum, qui gloriam Tuam comprehendat, idoneum esse scio.

Tu es Refugium peccatorum, Auxilium christianorum, apostolorum martyrum, confessorum, omnium sanctorum ipsorumque angelorum – Regina, Mater Christi, Mater Salvatoris, Mater Redemptoris, vera Dei Mater.

Hic iam deficit humanus intellectus ineptus, qui Dei infinitatem et consequenter Matris Dei capiat dignitatem.

Deus caritas est. Plenitudine huius vitae Pater Filium generat, Spiritus vero a Patre Filioque procedit.

Cum autem Deus diligeret quoque finitas Sui ipsius possibles imagines, elegit quasdam earum donavitque eis realem existentiam. Quae creaturae vi veluti reactionis seipsas perficiunt sicque ad Deum, a quo procedunt, tendunt.

Quin etiam libero arbitrio praediti homines similiter ad Deum tendunt, sed quibus obnoxii imperfectionibus, quam discordantes cum Voluntate Divina, cum Deitate?

Praeviditque Deus a saeculis Creaturam, quae in nulla re, ne minima quidem esset, praevaricatura, nullam gratiam perditura, nihil eorum quae a se accepisset sibi appropriatura. In cuius anima gratiarum Largitor, Spiritus Sanctus, a primo existendi momento inhabitat, quam absolutam prorsus possessionem cepit, penetravitque adeo, ut nomine Sponsae Spiritus Sancti solummodo remota, tenuis, imperfecta, etsi vera veniat huius coniunctionis adumbratio.

Nec permisit, ut Eam macula originalis peccati inquinaret. Et facta est sine labe concepta, Immaculate Concepta.

Lapurdi Immaculata V. S. Bernadettea saepius interroganti, quae esset „Immaculata Conceptio ego sum” respondebat: Quibus claris verbis exprimit, se esse non solum Immaculate Conceptam, sed immo Ipsam Immaculatam Conceptionem, sicuti aliud est res alba

et aliud sola eius albitudo, aliud res perfecta et aliud eiusdem perfectio.

Dicendo de Se sic Deus affatus est Moysen: „Ego sum, qui sum” i.e. ad essentiam meam pertinet, ut natura mea semper sim a me: absque principio. Immaculata tamen Virgo originem Suam habet a Deo, est creatura, est conceptio, attamen Conceptio Immaculata.

Quam profunda mysteria latent his verbis.

Et sicut omnia in ordine naturali ac supernaturali a Patre per Filium Spiritumque in creaturas descendunt, ita similiter et creaturae omnes per Spiritum Filiumque ad Patrem ascendunt.

Attamen perfectissima creaturarum Immaculata Virgo super omnem creaturam elevatur, et ineffabili modo est Divina. Filius enim Dei descendit a Patre per Spiritum et inhabitavit Eam incarnatusque est in Ea et facta est Mater Dei, Mater Dei - Hominis, Mater Jesu. Ex quo momento omnis gratia a Patre per Filium incarnatum Jesum atque Spiritum in Immaculata habitantem – per Immaculatam dispensatur. Et quotlibet signum amoris creaturarum non nisi per Immaculatam expurgatum, ab imperfectionibus elevatumque a Jesu ad valorem infinitum ideoque majestate Patris Coelestis dignum, ante faciem Dei prodit.

Unio inter Spiritum Sanctum et Immaculatam Virginem tam arcta est, ut Spiritus Sanctus animam Immaculatae penetrando non influat in animas nisi Ea mediante. Unde Mediatrix omnium gratiarum, unde et vera Mater omnis gratiae Divinae facta est. Unde Regina Angelorum Sanctorumque, Auxilium Christianorum et Refugeium peccatorum.

Proh, quam parum adhuc nota est Immaculata Virgo! Quando nam animae hominum Eius Corde Divinum Cor Jesu et Hoc mediante Patrem Coelestem diligenter?

Cogitanti mihi quid causae sit, quod cum Evangelistae de Johanne Baptista, et aliis Apostolis tam longum facere tractum de Virgine, quae dignitate omnes autecedit, ita summatim percurrent historiam; cur non traditur quomodo sit concepta, nata, nutrita, quibus moribus decorata, nihil aliud occurrit, quam ita placuisse Spiritui Sancto, eiusque providentia Evangelistas siluisse, quia Virginis gloria intus erat omnis, et magis cogitari poterat, quam describi.

(S. Thomas Valent.)

Niepokalanów (Immaculatum)



In imaginae supra expressa habetur generalis aspectus in Niepokalanów, in quo „Miles Immaculatae“ typis editur. Niepokalanów est nationale centrum „Piae Unionis Militiae Mariae Immaculatae“ cujus finis est: Quaerere conversionem peccatorum, haereticorum, schismaticorum, judeorum etc., et praesertim massonum et sanctificationem omnium sub patrocinio B. M. V. Immaculatae Eaque mediante.

Conventus hic in quo numerus Fratrum operibus Centralis addictorum 600 fere attingit, anno 1927 constitutus est. Praeter hunc „Militem Immaculatae“ pro sacerdotibus, eduntur etiam in Niepokalanów: „Rycerz Niepokalanej“ („Miles Immaculatae“) pro secularibus adultis in numero supra 500.000 exemplaria, „Rycerzyk Niepokalanej“ pro iuvenibus in 180.000 ex.

et diarium quotidianum „Mały Dziennik“ in 130.000 ex. in novem editionibus.

Anno 1930 in Japonia Nagassaki simile Centrum Piae Unionis institutum est, in quo praeter 23 Fratres Polonos iam 10 Fratres indigeni inveniuntur, qui pro paganis periodicum mensile „Seibo no Kischi“ edunt.

De modo agendi communistarum

Communistae in propaganda sua idea non desistentes, unaquaque fere die multas publicationes ad decipiendos catholicos instructionesque ad sodalitates sibi inimicas evertendas typis edunt.

DE SEPARATIONE ECCLESIAE A STATU ET SCHOLAE A ECCLESIA

Articulus, sub hoc titulo in ephemerede „Tribuna Radziecka“ communistarum tendentias relate ad religionem et clerum manifestat. Quia autem sententiae ibi propositae ad avertendos a religione animos operariorum tendunt atque de religione et clero tractant, convenit, ut aliquas saltem ex iis cognoscamus.

„Operarii a latifundiorum possessoribus et dicitibus non solum carcere et patibulo et toto aparatu politiae, sed etiam ope sacerdotum atque aliorum religionem profitentium, qui religionem, humilitatem et subordinationem erga statum docebant, affligebantur“.

„Educatio puerorum et cura morum totius populi ecclesiae commendata fuit, licet intemperantia et libido ipsorum sacerdotum et religiosorum notae fuerint“.

„Unoquoque anno omnes peccata sua confiteri debebant, confessione tamen ipsi „pii sacerdotes“ ut instrumento politico abutebantur“.

Anno 1878 et postea secunda vice anno 1906 propter blasphemias in religionem vetita est edito et propagatio libri Engels“.

„Per multos annos in Russia censura ecclesiastica quae populum a nova doctrina arcebat, peragebatur“.

„Clerus, varias in campo doctrinae factas inventiones a plebe arcendo, eo ipso operarios in ignoratia detinebat“.

„Ex fideli servitute et adiutorio statui praestito, ecclesia materiale commodum capiebat. Per multa secula ecclesia grandes pecunias congregavit atque dives et magister opificum et latifundiorum possessor facta est“.

Inferius opulens sacerdotum et monachorum vita describitur.

Certum est hic potissimum de ecclesia schismatica agi.

BLASPHEMA PUBLICATIO

Christiani!

Duo milia annorum a Nativitate Christi iam transeunt.

Christus aequalitatem et fraternitatem, quae communismo propria sunt,

docendo, propter quam doctrinam ab adversariis multum persequebatur — capitalistis contradicebat.

Capitalistis persuasum est, doctrinam Christi, nostri comitis, perdere per difficile esse; hac ratione dolose agere proposuerunt.

Sublimi idea Christi abusi, ope mercenariorum — sacerdotum usque adhuc ita improbe se gerunt.

Apage vendentes Deum!

Apage falsas Christi doctrinas!

Idea communismi est vera Christi doctrina.

Qui doctrinam Christi profitetur eo ipso verus communista est.

INSTRUCTIO COMMUNISTARUM

Nomen dare alicui sodalitati nobis contrariae. Quo fine inquirendi sunt homines, qui omnia sibi licita esse, atque finem omnia media iustificare, sentiant.

Initio magna cum cautela, absque festinatione procedendum est.

Nisi ipsi vos invitaverint, nullo modo vestram erga hanc sodalitatem admirationem statim manifestetis.

Postea ad hoc procedendum est, ut in societate, cui nomen suum dedistis, nemo vestrum locum occupare queat.

Necesse est opinionem optimorum operariorum labefactare. Existinationi eorum, qui sodalitati praesunt, detrimentum faciendum est. de eorum abusibus, ineptia etc dicendo.

His peractis, uteius procedendum est, nimirum:

Manifestare, laborem incapaciter et nimis lente a moderatoribus suscipi; inducere alios ut laborem cotidianum parvi pendant. In litibus partibus pigrorum et ineptorum favere.

Confidentia atque amicitia uniuscuiusque sodalitatis fundamentum sunt. Studendum est igitur, ut haec amicitia extinguitur.

Inducere alios in cauponam, atque eorum inopiam opitulari ad amicos sibi consiliandos.

Auctoritate superiorum diminuta, atque omnibus technico labore desistentibus, necesse est, falsis rumoribus ubique propagatis, ideam adversarii corrumpere. Finis falsorum rumorum propagationis est: animos adversariorum perturbare, nostros fautores confortare, vestigia nostrae actionis delere. Hic sermo debet esse: curiosus et verisimilis et ex pluribus fontibus insimul efluens, ne, unde evenerit, cognoscatur.

Denique relationibus personalibus inter singula membra alicuius sodalitatis destructis, absconde recedendum est; sodalitas enim haec iam ad destructionem destinata est.

CHRONICA

CONGRESSUS NATIONALIS IN INDIIS

In Urbe Madraspolitana Congressus Eucharisticus Nationalis Indianorum, cui Legatus Pontificis Mons. Leo Kierkals Delegatus Apostolicus in India praefuit, celebratus est.

Ad exitum huius Congressus Eucharistici Beatissimus Pater per inventum radiophonicum omnes ita allocutus est:

„Audite populi de longe“ vosque potissimum audite, qui amplissimas Indiarum regiones incolitis et ad primum ex universa Natione vestra Eucharisticum Congressum convenistis.


Quamquam pene immenso terrae marisque tractu a Nobis seiuncti estis, vobis tamen studiosa illa caritate adsuimus, quae „nunquam excidit“, queaque locorum longinquitatem transmeat, atque evincit. Ac vobis adsumus non modo per nostrum Legatum, qui celebrazione vestrae Nostro nomine praest, sed, famulante fidei scientia, veluti

„os ad os“ vos allogii possumus: paterna scilicet verba Nostra, quasi amoris inixa alis, per mirandum radiophonicum inventum ad vos omnes transvehuntur. Itaque suplices preces nostrae vestris insertae precibus, id una vobiscum a Deo contendunt, ut reapse sit vobis Eucharisticum Sacramentum „principium christiana vita caput ac fons inexhaustus“; ad quod guidem non etiam „qui in umbra mortis sedent“ accedant ac vivificantur.

PRIMUS CONGRESSUS EUCHARISTICUS IN MEXICO

Gratia curae episcopi Leonensis in Mexico Mgr. Valverde Taller, celeberrimus Nicolaus Mariscal in monte extra urbem Leon magnum et per pulchrum simulacrum Christi Regis fecit.

Occasione solemnis et publicis benedictionis huius simulacri die 11 februarii huius anni primus nationalis Congressus Eucharisticus diebus 10 - 15




Urbs Madraspolitana. Magnus perclus in quo Congressus celebratus est II. Vat.

februarii fuit organisatus, cui Sanctissimus PP. Pius XI specialem benedictionem papalem transmisit.

Die 15 februarii solemnissima Missa pontificalis celebrata fuit ei vespere huius die triumphalis processio — cui, cum magno ardore, ingens multitudo fideliū participabat.

CONGRESSUS MARIANUS IN GALIA



Ad propagandum Congressum Nationalem Marianum, qui Boulognae in Galia a d. 20 aprilis ad 24 julii celebratus, pulchra pictura edita est.

Internationalis Congressus Eucharisticus, qui Budapestis celebrabitur, in picturis in tecto ecclesiae s. Annae pro huīus rei memoria conficiendis exprimeatur.

DECTETA PRIMI CONCILII PLENARII IN POLONIA

Iam in lucem edita sunt Decreta Primi Consilii Plenarii Celebrati in Polonia anno 1936. „Opus quidem valde

laudandum — sicut legimus in Decretis Recognitionis et Aprobationis” ad Em. D. Card. Franciscum Marmaggi Legatum Apostolicum — quod Eminentissimi Archiepiscopi Varsaviaensis nec non Gnesensis et Posnaniensis aliique Episcopi et Ordinarii Polaniae, Eminentia Vestra praeside, alaci libertique animo aggressi sunt, quodque constitutionibus, quae fidei catholicae provehendae, morum disciplinae firmandae, cultui divino augendo bonisque ecclesiasticis tuendis, quam maxime conserunt, salutis animarum zelo, non minus ac sacrorum canonum peritia perfecrunt”.

ACTIO UNIONIS

Polonia confinis Russiae bolschevicae et Germaniae supra 34 milia milium incolarum numerat. Numerus eorum, qui ad Ecclesiam catholicam non pertinent, 10 miliones efficit, in quo schismaticorum 4 milia milium. Quam ob rem clerus polonus in re unionis, quae mentem et cor Ssni Patris occupat, multum adlaborat. Hoc fine mense januario „Hebdomada Praecum pro Unione Ecclesiarum” atque conferentiae ad conciliandos huic aperi quam plurimos fideles, locum habuerunt, quibus Em. Card. Kakowski, Exc. Ep. Cortesi Nuntius Ap. in Polonia, aliquae episcopi interfuerunt. Quae Actio unionis, licet paulatim, continuo tamē progreditur. Insuper ad educandum clerum huius ritus Papale seminarium in Polonia existit in quo iuvenes a P. P. Societatis Iesu educuntur. Numerus catholicorum ritus orientalis circa 25.000 attingit.

Quod opus in Polonia Episcopus dr H. Przeździecki primus renovavit. In regionibus enim quae nunc eius potestalis subduntur temporibus servitutis catholici rit. orient. maximam persecutionem propter religionem ab imperatoribus Russiae, qui per fas et nefas schismam introducere conabantur, passi sunt, ac tamen stabiles ac fortes in fide catholica sese ostenderunt.

Quae actio etiam suos martyres in Polonia habet, quorum notissimi sunt: sanctius Jozafat Kuncewicz, archiepiscopus Polocensis, et b. Andrea Bobola S. J. — Nunc Unioni eccl. schismatica cum eccl. catholica operam dant P.P. Societatis Iesu, PP. Ordinis Praedicatorum, PP. Ordinis Min. Capucinorum. PP. Ssmi Redemptoris.

CULTUS MARIAE IN NOVA HISPANIA

Nuper comitium Culturae ac Studii regiminis nationalis hispaniensis sequens praeceptum promulgavit:

Ex abundanti nationalium Hispaniae morum thesauro, spiritum patriae representans, speciali modo cultus B. M. Virginis in scholis eminet. Et novissimis temporibus ipsemet cultus, qui sub regimine atheistico evanuit, denuo in cordibus iuventutis scholarum ferventissime florescere cepit.

Ideoque praecipitur, ut:

1. In omnibus aulis scholarum imago B. M. Virginis, in quantum possibile Immaculatae, principali parieti affigatur.

2. Per totum mensem Maium omnes magistri cum iuventute scholarum, memores pristinorum Hispaniae morum, in honorem Reginae mensis Mai coram Eiusdem imagine vel altari orationes, omnibus notas, recitent.

3. Renovetur praxis antiqua gentis Hispaniae, nempe mutua salutatio discipulorum in ingrediendo vel relinquendo scholam, verbis: „Ave Maria purissima!” ad quod respondeatur: „Sine peccato concepta.

4. Toto belli tempore discipuli ad Beatissimam Virginem pro impetranda victoria et pace cotidie orient.

Cardinalis Segura, archiepiscopus Sevilleae omnia documenta de vita, tum sacerdotum, qui a communistis occisi sunt, tum etiam eorum, qui in carcere detenti persecutionem patiuntur, conquerere sibi proposuit, ut posteri vitam eorum p[re] oculis habentes, vitam suam sic instituerent, ut ea omnia, quae patriae nociva essent, vitarent. Iam ho-



E. Mons. Petrus Doi Tatsuo novus Archiep.
Tokiensis

die in iuventute educanda hoc praesertim attenditur, ut iuvenes divina pracepta utpote legem vitae cotidianae observent, atque in vita morali ac casta magis ac magis progrediantur.

ITALIA.

Archiepiscopus Genuensis epistolam pastoralem tractantem de communismo edidit, in qua doctrinam catholicam in litteris encyclicis apostolicis traditam, fundamentum esse in solvenda quaestione sociali, demonstrat, atque sacerdotibus, ut cum operariis exemplo s. Vincenti a Paulo, s. Johannis Bosco, s. Johannis Cottolengo et s. J. d' Ars magis collaborent, plurimum commendat.

ORDINATIONES SACERDOTUM AFRORUM

In Africa Centrali, in utraque parte aequatoris, catholicismus admirabiles progressus facit. Inter haesternos paganos et hodie Zelo ardentes catholicos multae ad statum sacerdotalem vocaciones occidunt. En aliqua notatu digna:

In Camerun ab Excell. Vicario 4 representantes gentis Yandex et duo gentis Duala sacerdotali dignitate insigniti sunt. In terra hac seminaria parva pro iuvenibus Afris et seminaria magna pro studiis theologicis non obstante paupertate et pecuniae penuria et variis difficultatibus eriguntur. Ultimis temporibus in vicariatu apostolico Kisumu in sempentrionali parte Iaci Victoriae (Colonia Britanicae Kenia) parvum Seminarium apertum est.

CATHOLICISMUS INFRA BASUTOSSOS

Praeterito anno 75 anni ab adventu primorum missionariorum ex Ord. PP. Oblatorum in terram Basutossorum (Africa Meridionalis) praetererunt. Initia apostolici laboris horum Patrum valde difficultas fuerunt. Plurimi sacerdotes morte occubuerunt. Hodie tamen in terra Basutossorum numerus catholiconum et catechamenorum 147.000 attingit.

* * *

In India prima vice accidit, ut indigena episcopus Fernandes ex Quilon ab indigena Archiepiscopo consecrationem accepit.

Die 17 aprilis tres Beati, nimurum: Andraeas Bobola, Salvator da Horta et Johannes Leonardi a s. Patre N. Pio XI Papa titulis atque honoribus sanctorum solemniter afficiuntur.

In campo missionum circa 240. milia missionariorum laborant. Licet 500.000 quotannis personarum ex paganismo in catholicismum convertantur nihilominus tamen propter naturale augmentum numerus paganorum continuo crescit. Ad Catholicam Ecclesiam plus minus 15% generis humani i. e. supra 400 millionum pertinent; ad schismaticos 158 millionum ad protestantes 220 millionum ad iudeos 16 mil.; ad mahometanos plus quam 200 mil.; ad paganos 1 miliard et 43 milion pertinent. Attamen supra citati numeri non sunt accuratisimmi.

In Schanghai missionarius catholicus 300.000 Sinenses a morte liberavit — quod heroicus actus a ephemericibus paganis multum laudabatur.

Liber aureus, in quo nomina et regesta principum atheistarum conscriptae continentur a sovieticis atheis iam compositus est.

Ultimis temporibus ad propagandum communismum 65.000.000 rubli a Sovietis assignati sunt.

P. Fridericus Siedenburg S. J. decanus Universitatis in Detroit, qui praeterito anno aliquot menses in republica S.S.R. peregit, quomodo Missam in aliquo hospitio celebraverit, describit Fenestris cooperitis atque linteis cum Reliquis S. Marthyrum explicatis Missam in mensa usitata celebrabat.

Missale in tegumento libri profani latebat; pro celice pocillum vitreum inseviebat. P. Siedenburg hoc modo Missam speciali concessione S. Papae sine ulla veste sacra celebrabat.

Per viginti annos gubernationis communistarum in Rusia 129.000 ecclesiae, capellae et domus orratorii fidelibus ablate sunt. Plus quam 24.000 eccl. deletae. Numerus sacerdotum occisorum attingit 40.000. Ultimo anno circiter 2.600 sacerdotes omnium religionum in carcerem et in exilium missi vel vita privati sunt.

In Polonia d. 27 februarii in pago - Luboni ad Poznaniam sacerdos Stanislaus Streich finita Missa a communista Nowak occissus est.

In Dania tempore apostolatus Episcopi Brem religio catholica multum crevit. Post 16 annos numerus catholiconum in vicariatu in quo evangelisabat usque ad 26.000 auctus est. Initio quinque sanctum sacerdotes Belgas habuit, quos quindecim nunc reliquit. Ecclesias 33 et multa sacella aedificavit.

In Germania sacerdotes nationalis ecclesiae christiana in administrando Baptismo formam de Sanctissima Trinitate saepissime omittunt. Formam hanc symbolicum suum sensum atque vim amisisse, dicunt.